

belles semper fuerint Regi, eiusque imperijs ac edictis: vt lectionum Hebraicarum, quas publicè Rex Franciscus Valesius instituerat, fructus ad plures manaret, nec tantum ad nostræ nationis homines, sed etiã ad exteros: ego magno labore, sumis vigilijs, singulari attentione animi, quæ ex Francisco Vatablo, homine in Hebraicis literis peritissimo, professore Regio, exceperat auditores docti, colligo in vnum volumen, adiecta noua Bibliorum translatione e regione veteris. Opus hoc, anno M. D. X L V absolutum fuit. Quod statim doctissimis quibusque Synagogæ communico: rogo, siquid videatur minus aptè collectum, de hoc admonear: me siquid vsquam peccatum sit, sarciturum pollicor. Remittunt: salua omnia esse aiunt, quod non statim mali quid ex Vatabli lectionibus publicè suboriturum crederent. Sumè mihi plaudebã, posse ipsis nõ repugnãtibis aliquẽ ex mea opera fructum peruenire ad Sacrarum literarum studiosos. Satan vbi videt ex lectione annotationum illarum, fictas & insulas interpretationes concidere: multos ex suo illo satellitio aduersum me commouet: dictitantes non oportere ultra distrahi Biblia ista cum an-